

**Dissertatio medica inauguralis de haemorrhagia uterina ... / eruditorum
examini subjicit Lucas Kelly.**

Contributors

Kelly, Luke, approximately 1807-1842.
Woodforde, James
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat P. Neill, 1825.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fk8bn2bg>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





(16.)

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HÆMORRHAGIA UTERINA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

LUCAS KELLY,

Hibernus.

Haste, Haste, he lies in wait, he's at the door,

Insidious death.

YOUNG, Night II.

AD KALENDAS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI :

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXV.

164
DISECTATIO MEDICA
JERRARDO EDUARDO STRICKLAND
EX AUCTORITATE PATRIS EDUARDO STRICKLAND

ARMIGERO
MEMORIAE THERIAE

EX AUCTORITATE PATRIS EDUARDO STRICKLAND
COMITIS ROSSII
D. GEORGIUS STRICKLAND
ACADEMIAE EDINBURGENSIS PHARMACEUTICAE

ARMIGERO
ACADEMIAE EDINBURGENSIS
PHARMACEUTICAE
ACADEMIAE EDINBURGENSIS
PHARMACEUTICAE

ACADEMIAE EDINBURGENSIS
PHARMACEUTICAE
ACADEMIAE EDINBURGENSIS
PHARMACEUTICAE
ACADEMIAE EDINBURGENSIS
PHARMACEUTICAE

ACADEMIAE EDINBURGENSIS
PHARMACEUTICAE
ACADEMIAE EDINBURGENSIS
PHARMACEUTICAE
ACADEMIAE EDINBURGENSIS
PHARMACEUTICAE

ACADEMIAE EDINBURGENSIS
PHARMACEUTICAE
ACADEMIAE EDINBURGENSIS
PHARMACEUTICAE
ACADEMIAE EDINBURGENSIS
PHARMACEUTICAE

ACADEMIAE EDINBURGENSIS
PHARMACEUTICAE
ACADEMIAE EDINBURGENSIS
PHARMACEUTICAE
ACADEMIAE EDINBURGENSIS
PHARMACEUTICAE

JERRARDO EDVARDO STRICKLAND,

ARMIGERO,

DE MANERIE *LOUGHGLYN*

IN

COMITATU ROSCOMMONENSI,

AMICO SINCERO,

VIRO

ARTIBUS, ET SCIENTIIS,

QUÆCUNQUE VITAM CULTIOREM ORNANT

PRÆDITO,

ET

MAGISTRATUI INTEGERRIMO ;

HOCCE OPUSCULUM,

SUMMÆ REVERENTIÆ

ARGUMENTUM,

DEDICAT

AUCTOR.

JERARDO KDVANDO STRICKLAND

ARMIGERO

DE MANERIE CONGRUENT

AUDOEINO YOUNG, ARMIGERO

COMITATU ROSCOMMONENSIS,
DE WIMBORNA

AMICO SINCERO

IN COMITATU ROSCOMMONENSIS

VIR

N. D.

ARTIBUS ET SCIENTIIS

GEORGIUS VITAM CULTOREM ORNANS

In omni carmine, et in omni parte, tale exornans

edicta, in me munda, et in omni parte, in-

argue, in omni parte, in omni parte, in-

ET

argue, in omni parte, in omni parte, in-

MASTABAT IN OMNIBUS

et in omni parte, in omni parte, in-

accipit, et in omni parte, in omni parte, in-

HOGE OFUSCULUM

in omni parte, in omni parte, in-

ST. M. E. REVERENTIA

ARGUMENTUM

DEBET

AUTOR

AUDOENO YOUNG, ARMIGERO,

DE HARRISTOWN,

IN COMITATU ROSCOMMONENSI,

S. D.

VIR mihi carissime,—Non omnino possum, tale occasione oblata, tua in me merita quamplurima, tuas virtutes tantas, tuamque indolem, non minus sensu justitiæ accuratissimo, quam ingenio haud exiguo imbutam, sine nota quavis animi grati pariter atque admirantis præterire. Hoc igitur in bonam partem, accipias, et sicut vixisti Amicorum deliciæ, Societatis beneficium diu vivas, vovet Auctor.

*TIBI quoque, pari ratione, PATER CARISSIME, qui
mihi semper indulgens et benignus fuisti, has studiorum primi-
tias sacras volui. Hoc officii pignus quidem perexile est, sed
quod potui, animo ob tua beneficia in me collata innumera grato,
obtuli*

AUCTOR.

inter, vel post partum accidit, scilicet

Woodford with N.

Authors compliments

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
HÆMORRHAGIA UTERINA.

LUCA KELLY, Auctore.

Hic enim breve spatium est, intra quod, si quid auxilium non profuit, æger extinguitur.

CELSUS, Lib. iii. Cap. i.

PROCEMIUM.

QUONIAM hujus Academiæ celeberrimæ leges quemque summos in medicina honores aggredientem, Dissertationem Inauguralem perscribere volunt, ut huic regulæ paream, Hæmorrhagiam Uterinam de qua agatur, eam præcipue, quæ ante, inter, vel post pariendum accidit, selegi.

Arti obstetricæ incumbenti, nihil, quam Hæmorrhagia Uterina, periculosius natura sua vel

magis metuendum vix unquam occurrit; neque quod curationem promptiorem, melius cogitatam aut validiorem, postulat. Sanguinis profluvium ex utero vel in mensibus graviditatis maturioribus, vel temporis puncto posteriore, vel proxime ante partum, vel inter vel post, accidere potest.

Hæmorrhagia una cum abortu concurrens vix ita periculosa haberi debet, ac si tempore seriore adveniat. In memoria tenendum est, quod in mensibus graviditatis posterioribus tubus vasorum sanguinem vehentium eo usque adauctus fuit, ut causæ eædem, quæ inter abortum acciderint, profluvium sanguinis multo magis timendum in hoc stadio, occurrentes efficere possint; et quamvis curationem ei, quæ in abortu usurpanda laudatur, prorsus similem esse oportet, nihilominus sæpe nostrum est, rationem medendi validiorem ad id compescendum, usurpare.

Vocabula *Accidentalis* et *Inevitabilis*, ut species Hæmorrhagiæ Uterinæ duo inter se invicem discernantur, adhiberi solent.

Primo. Accidentalis a casu quolibet, qui placentam a nexu suo cum utero, cui fere ad aliquam fundi vel lateris partem adhæret, partim sejungit, originem suam ducit.

Secundo. Hæmorrhagia Uterina, siquando a placenta super os cervicemque uteri impacta oritur, *inevitabilis* haberi queat.

CAUSÆ Hæmorrhagiæ Accidentalis plerumque sunt, mentis pathemata, nisus in magnis oneribus tollendis vehementes, saltus et saltatio, tussis, nixus in alvo dejicienda, constipatio, &c. Sæpe ab ictu vel lapsu pedum solo inducta fuit.

Copia sanguinis profusi gradusque periculi ab area superficiei placentæ ab utero separatæ, itemque a vi et impetu humorum circumeuntium massæ universæ, et a doloris sævitate, magnopere pendet; cum ea exempla in quibus uterus parum vel non omnino contrahitur, semper maximum periculum secum afferant.

Nonnunquam placenta, quoque sui circuitus puncto, adhærere potest, attamen in centro adeo laxata fuerit, ut tantum sanguinis in spatium ita effectum infundatur, quantum gravidæ vitam in extremo discrimine sistat, etsi nullus omnino per vaginam effluerit.

Causa Hæmorrhagiæ Inevitabilis placentæ ab

origine super cervicem uteri impactio existit, adeo ut profluvium, quod profecto expectari potest, quovis tempore post mensem gestationis quintam, ubi cervicis uteri expansio vasa lacerat, quæ hanc inter et massam placentæ intercedunt, accedat. Hæmorrhagia hinc accidens mulierem summo periculo objicit, cum enim dolores os uteri dilatantes supervenerint, plura vasa præterea lacerantur, profluviumque revertitur.

Curatio Hæmorrhagiæ Uterinæ casu accidenti.—Quæcunque causa fuerit unde hæmorrhagia oriatur, semper uti indicium periculosum, quodque auxilium promptissimum et efficacissimum postulat, spectari debet.

Ægram in culcita duriore supinam reponere, pelvimque, aliqua re pulvinari plumeo minus cessa, humeris altius sustentare oportet.

Pulvinar villis refertum, et corio molliori obtectum, ad hoc laudarem. Ostia conclavis et fenestræ aperiri debent, rivusque aëris liber permitti. Nullum tegmen, nisi quod corpori detecto prohibeat, utendum; ignis in cubiculo minime permittendus; omnesque, præter obstetricam et nutricem lecto ægræ assidentem, excludi debent.

Quam minimum nutrimenti, ejusque nec calidi nec conditi, adhibere, oportet; denique quicquid impetui sanguinis circumacti occurrat, sedulo usare decet. Pubi, abdomini, lumbisque, panni ex aceto cum aqua, vel ex hac ipsa frigida succidi, subinde admovendi sunt; vel glacies in vesica contenta super eas partes liquescere sinatur. His remediis adjiciantur, sal sive acetum et aqua frigida in rectum infusa, frustumque glaciei, si quando hæc in promptu sit, in vaginam imponi queat. Si ad hæc auxilia exhibenda quam arcte attenditur, hæmorrhagia sæpius decedet omnino, vel saltem adeo minuetur, et ægotantem a periculo urgente incolumem præstet. At profecto obstetricis erit ægram sibi commissam omni cura animique attentione custodire. Si hæc et hujusmodi nihil profuerint, adhuc restat, ut ad remedia fortiora confugiamus; magnique interest, quod, minime raro, uterus ad sese cito deplendum proclivitatem habeat, quæ porro relaxatione cervicis uteri sanguinis fluxu effecta adjuvatur.

Rationes vitam ægotæ servandæ duæ nobis offeruntur; altera partum, fœtu in utero convertendo, pedibus prehensis educere; altera tantummodo membranas dirumpere, super ea intus con-

tenta contractus; eousque profluvium imminuet, ut ægra, donec contractiones uteri naturales fœtum ejeciant, commorari possit. Prior ratio iis exemplis miserandis, quibus uteri contractio prorsus deest, vel ubi dolores valde debiles sunt et effectum carent, cum conditione cervicis uteri relaxata, melius accommodata est; posterior iis, quibus dolores puerperii adsunt, et eventum felicem habere sperentur, magis idonea videtur.

Curatio Hæmorrhagiæ Uterinæ Inevitabilis.—Siquando hæc species accedit, viribus naturæ confidere minime licet, quia uteri conamina ad fœtum expellendum periculum ægrotantis tantummodo augent; ideoque manus medentis, vel per placentæ substantiam vel præter ejus marginem intrudi, fœtusque in utero converti debet. Si sanguinis profluvium tantum fuerit, ut vires corporis universi comminuat, tale remedium minime deferre fas est, una enim sanguinis eruptio miseras ægræ ad finem lethalem perducatur; et si quando ad mulierem incolumem præstandam statim hoc auxilium affere, etiamsi os uteri non apertum sit, adeo dilatabile tamen erit, ut nihil impedimenti manui in uterum inferendæ objiciat.

Cum hæmorrhagia intra menses gestationis quintum et octavum accidit, vix fere primo maxime timenda est, adeo ut, si os uteri neque dilatatum sit neque dilatari queat, operatio per horas aliquot plerumque tuto deferri potest; cura simul maxima habita, ne ægrota, antequam homunculi in utero conversio efficiatur, sanguinis jactura, exhauriatur.

Si post examinationem per vaginam unaquæque pars oris uteri placenta obruatur, neque punctum ullum, quo hæc tenuior sit, inveniatur, digiti hanc massam ipsam perforare debent, manique obstetricis introducta, pedes homunculi per aperturam deducendi sunt, partusque quamprimum extrahendus. Nonnunquam os uteri placenta partim solummodo obducitur, ita scilicet, ut manus medici præter marginem ejus ad membranas facile immitti valet, et hæc ratio quotiescunque usitari potest manui per placentam ipsam protrusæ anteposenda est. Quomodocunque in uterum iter effectum fuerit, operatio fœtus convertendi, omni cura et animi attentione adhiberi debet.

De Hæmorrhagia post Partum accidenta.

—Proxime post fœtum expulsum, sanguinis profluvium ingens, quod sæpe vitæ matris discrimen inducit, adveniat.

Hæmorrhagia hic memorata, minime ea sanguinis jactura est, quæ sæpissime uteri contractionem fœtum ejicientem, partemque placentæ parvam simul separantem, comitatur; neque sanguinis illius amissio, qui tantum per uterum circulum peragebat, quique, placenta penitus separata, organoque eo contracto, e vasis suis jam magnitudine adeo minutis, ejicitur; sed illæ undæ deinceps scaturientes, vel istud magis insidiosum et non ideo minus periculosum humoris vitalis stillicidium, quod, si non statim compescitur, serius ocyus ægram exhaustam ad finem lethalem perducatur. Sequelæ profluvii proximæ fortasse non multum formidandæ videantur, et plurimum ab impetu et velocitate sanguinis elabentis, viribusque constitutionis ægrotæ, pendebunt; attamen si effusio usque progreditur, in exemplis quibusdam, post horæ minutum unum vel alterum, pulsus deficit, vultus aspectum ferum et exsanguem suscipit, cutisque summa corporisque partes extremæ resolvuntur, et sudore frigido

frigido irrorantur. Misera laborans sæpe et profunde suspirat, evomit, valde inquiet evadit, respiratione simul accelerata, circum se brachia effundit, anhelat, animamque spiritu supremo efflat.

Causæ.—Torpor uteri, sive ejus fibrarum contractio abnormis, fere semper, hæmorrhagiæ post partum expulsum accidentis, signum et causa existit; nisi in iis exemplis ubi placenta ex parte separatur, dum massa ipsa adhuc adhærens et in utero retenta, ejus organi contractionem perfectam prohibet. Torpor seu vis contrahendi amisso, graduum diversorum, reperitur, aliquando adeo magnus existit, ut manus in uterum immissa ad scrobiculum cordis usque pervenire possit; dum contra uterus probe contractus tumori duro similis, neque pila communi baculo ad ludum percussa major, in regione pubis sentietur. Debilitas pristina hanc uteri contractionem inducat. Sæpe quoque a labore protracto; ab uteri distentione nimia, veluti cum in eo gemelli latent; a consuetudine minime probanda uteri nimis cito, contractione haud gradatim effecta, deplendi; ab utero fascia abdomini circumdata non sustentato; atque a stimulis exhibitis, oritur.

Mulier etiam, quæ nuperius pepererat, a situ supino levanda, uterique inversione, &c. induci queat.

De Remediis.—Remedia hæmorrhagiam casu accidentem compescendam usurpata, quæque jam in hoc opusculo recensita fuere, hæmorrhagiæ quoque post partum supervenienti, de qua nunc agitur, magna ex parte, admoveri possunt. In hac hæmorrhagiæ specie tractanda, duo consilia præcipue spectari merentur. Primo, vires uteri contractiles præstare integras, vel saltem, si hoc non possumus, restituere. Secundo, quodcumque vim vel frequentiam actionis cordis et arteriarum micantium augeat, evitare. Etsi jactura pauxilli sanguinis ob placentam separatam et expulsam sæpius accidit, neque ullam medentis curam præcipuam postulat; attamen maxime interest, remedia efficacia, donec indicia formidolosa accesserint, minime deferre: si enim hæmorrhagia progredi sinatur, quamvis vitam, sub initio, ægrotantis non in discrimine summo ponat, vires constitutionis forte adeo collabantur, ut postea se nunquam in pristinum robur restituat, vel fundamentum morbi vetusti et denuo lethalis struitur.

Primum est, in iis profluvii tractandis exemplis quæ a vi contrahendi uteri fibrarum amissa oriuntur, contractiones uteri, si penitus desierint, resuscitare, aut, si debiles perstiterint, vim earum et actionem promovere.

Utrum, igitur, placenta separata fuerit, necne, curatio eadem existit; consuetudo, profecto, quorundam obstetricum, maxime inconsulta et periculosa est, qui manum, ut placenta comprehendatur et mox extrahatur, manum in uterum statim immittere suadent. Tractatione adeo temeraria, et rationi minime consentanea, efficitur, ut periculum augeat, ratione satis perspicua; sic enim, ostia vasorum plurimorum aperta objiciuntur.

In exemplis quibusdam perpaucis placenta rejicitur, et in utero soluta commorans, ejus organi contractione perfectæ obstat: quotiescunque hoc evenit, eam, at non nisi in illam uterus se fortiter contraxit, caute extrahere nihil dubitationis medico afferre debet.

Uteri irritatio interna manu immissa effecta, et pressura externa cum frictione et frigore admoto, præcipua remedia sunt, ad quæ, ut actio uteri resuscitetur, mulierque incolumis præstetur, cum fiducia confugiendum sit. Si quan-

do uterus haud contractus reperitur, manus leniter in eum immittenda est, et cum eo perverit, libere at caute intra cavum ejus movenda. Inter hæc agenda, nutrix vel minister medici frictionem abdomini, cui prius fascia lata circumdata fuerat, ut gradatim, ægra haud turbata, constringatur, admovere potest; vel dum manus obstetricis sinistra in utero versatur, dextra eum externe prehendat; quod sæpe ad consilium tam optabile peragendum multum conducit: manus ex utero, antequam is se contrahere cœpit, nisi ad coagula ejicienda, quæ eum distendendo, contractionibus, donec expellantur foras, prorsus obveniunt, evellenda est. In exemplis hæmorrhagiæ minus periculosis, frigus pubi, perinæo, abdomini, lumbisque admotum, quo minus progrediatur malum sæpe obstabit. Hoc remedium per pannos ex aceto frigido, vel sale aquaque succidos, apponi valet, vel potius fortasse aqua frigida in partes supra memoratas affusa; vel optime glacie comminuta in vesica contenta, et super abdomen paulatim liquescere permissa; ejusve frusto in vaginam aut rectum imposito.

Si contractio uteri fibrarum musculosarum inæqualis fuerit, vel contractionem clepsydriformem

efficiens, ubi fibræ musculosæ circa centrum organi spasma afficiuntur, vel oviformem, ubi omnes fibræ circulares spasmodice agunt, dum contra quæ cursum in longitudinem habent magis solito laxatæ esse videntur; hæc hæmorrhagia iis compescetur, quæ spasmum resolvunt, nisusque ad contrahendum regulares et universales inducunt. Profluvio ex hac causa oriundo, opii portione satis magna obvenire oportet. Tinctura m. XL. vel opii puri gr. III. ad hoc præcipiantur, et proxime post actionem spasmodicam resolutam, quod ex dolore in dorso minuto cognoscatur, manus obstetricis in uterum, ut stricturam caute dilatet, hoc organum coagulis depleat, et ad contractionem saniozem cieat, intrudenda est.

Syncope haud raro profluvio inducitur, et quamvis, cum hæmorrhagia perstante comparata, prodesse quodammodo dicatur, attamen, veluti signum periculi, indiciumque vis generis vasculosi insigniter amissæ, semper spectari debet.

Tria sunt magni momenti, quæ ad hæmorrhagiam uterinam compescendam, conferunt; uteri, scilicet, ipsius contractio, coagula, quæ ostia vasorum sanguinem fundentium obstruunt, formata, contractioque vasorum ipsorum; quamvis, e-

nim, musculorum mobilitas desierit, vis arteriarum contractilis adhuc permanet. Magni refert, igitur, utramlibet harum potestatum impedire; et quoniam syncope nunquam nisi actione cordis et arteriarum, quæ sanguinem ad cerebrum partesve extremas impetu tanto, ut eorum collapsum prohibeat, transmittere nequeunt, minuta, accidere potest, haud parvi interest deliquium animi modicum, ut symptomata non infaustum spectare, præsertim cum, eo durante, ostia vasorum coagulis interea formatis obsideantur, et sæpe profecto obsidentur, ita ut profluvium omnino sistatur. Animi defectio, igitur, quoniam in momento humorum circumeuntium minuendo, ideoque hæmorrhagia sistenda, adeo prosit, nunquam, ut sæpe fit, largis vini, spirituum distillatorum ustorum, spiritus vini Gallici, aliorumque stimulantium fortiorum, copiis subinde exhibitis, temere interrumpi debet. Neque tamen mulier ob vires exhaustas, se huic obstare possumus, emori permitenda; ideoque cum vis vitæ multum frangitur et syncope simul adest, doses talium stimulorum, ut spiritus vini Gallici, vel ammoniæ, parvæ et identidem repetitæ, præcipi debent. Rebus sic se habentibus, aqua frigida faciei et pectori aspersa,

aliquando ægram fere exanimem, ad vitam pleniorē ciebit. Ammonia quoque regioni cordis, dum sanguinis fluxus ad partes extremas calore revocatur, apponi queat. Concedendum est igitur, exhibitionem stimulantium et cardiacorum mulieri plus minus sanguinis ex utero profusione exhausta, quæstionem in praxi obstetrica valde difficilem esse, et regula generalis instituatur, ea, nisi in exemplis paucis, et tanta copia exhibita, quanta ad circuitum sanguinis sustinendum vel restituendum necessaria fiat, nunquam usurpanda esse; haud raro accidit ut ægra aliquamdiu post partum convalescere videatur, et tamen, etsi uterus sese, ex magna parte, contraxerit. Sanguis in cavum ejus fundatur, et ob coagula uteri exitum obsidentia, nulla hæmorrhagia per vaginam effluat. Fœmina tali modo laborans de lassitudine, auriumque tinnitu conqueretur; vultus pallescit; nausea et vomitus, cum inquietudine summa, nonnunquam superveniunt; pulsus arteriarum deficit, et, nisi cito sublevetur, post convulsionem levem, paroxysmum, anhelitumve unum aut alterum, spiritum extremum effundit.

Talia symptomata explorationem externam, et internam fortissime suadent, qua uterus iterum

distentus et sanguine coacto et fluido repletus invenietur. Cum res se ita habent, nihil moræ permittendum est; curatio enim dubitans et effectu carens, cito ægram extra auxilii opem sistat. Altera manus statim in uterum, ut coagula extrahat, ejusque contractionem cieat, intromittenda est, dum pressura abdomini admovetur, uterusque altera prehenditur. Præterea, ea remedia ad hæmorrhagiam compescendam, quæ jam antea in hujus opusculi parte priori recensita fuerunt, statim et pertinaciter usurpari debent. Quando uterus non cito et plene contrahitur, pauxillum sanguinis effunditur, qui coit in massam, profluviumque sustinet, donec manu introducta extrahatur, vel uteri contractionibus exinde ejiciatur; ejus expulsio, porro, frictione externe super uterum adhibita, promovebitur. Aliquando, hæmorrhagia uterina, ab utero ex parte vel ex toto inverso oritur. Hæc inversio in exemplis plerisque curationi male institutæ attribuenda est; et plerumque, a placenta celeriter et violenter extracta manu obstetricis imperitæ, originem trahit. Siquando hic casus miserrimus accidit, obstetrix unda sanguinis vehemente conspecta, trepidat, animique turbatio adeo magna evadit, ut neque

uterum recondere, neque auxilium quamvis propinquum arcessere, in mentem veniat, et ægrota miseranda, ob imperitiam obstetricis, negligentiamque nunquam ignoscendam, morti succumbit.

Sequelæ hæmorrhagiæ uterinæ nonnunquam maxime molestæ sunt, neque raro periculum haud exiguum indicant.

Quotiescunque dolor capitis ingens, anxietas molesta, sitis urgens, et exhaustio permagna superveniunt, ægram convalituram esse vix profecto expectare licet, et curatio optime consulta et instituta postulatur. Hæc indicia, ut tollantur, quantitates cibi maxime nutrientis et facillimi concoctu, parvas flagitant, itemque opii et camphoræ aliorumque cardiacorum et sedantium e Materia Medica exhibitionis, cum laxantibus mitioribus, egent. Quinetiam interdum accidit, ut, ob sanguinis ad partem quamvis derivationem congestionemque haud parvas, causa earum primariæ debilitantis oblitis, nobis ad sanguinis de tractionem localem per hirudines vel cucurbitulas cruentas admotas, ut ægræ salutem integram præstemus, confugiendum est. Quidam arti obstetriciæ cum magna laude incumbentes, opii doses

ad hæmorrhagiam uterinam compescendam, quam magnas exhibendas suadent; dum alii talem curationem omnino condemnant. Quamvis opium, quibusdam rebus circumstantibus, maxime prodest, tamen ejus usurpatio inconsulta malo referata est. Discussionem quietam et candidam tandem cognitum est, quod opium large adhibitum in exemplis hæmorrhagiæ uterinæ, fere, viribus contrahendi, fibrarum uteri ipsius et arteriarum resolutis, noceat; et hoc medicamentum æstimabile, tum, et tum solummodo prosit, cum aliqua ex symptomatis sequentibus accedant; quando, nimirum, profluvium, donec vires vitæ valde comminutæ fuerint, processerit; ubi, quoque, una cum aliis exhaustionis indiciis, ventriculus mobilitatem permagnam aperte prodit; neque minus prodest, cum profluvium a contractione abnormi uteri fibrarum, sive circularium sive longitudinalium, oritur. In his exemplis utrisque, opium medicamen efficacissimum invenitur; at inter uteri hæmorrhagiam vehementem et formidolosam, id exhibere, vel ejus actioni confidere, periculosum est. Siquando id præcipere necesse est, ut plenum effectum obtineamus, gr. III. vel IV. quaque hora altera vel tertia pro re nata, repetita,

exhibere oportebit; sæpe, profecto, copia multa majore datum fuit, et a medicis peritissimis et celeberrimis laudatum.

Jam non modo quodcunque mea experientia docuit, sed etiam quicquid de hoc argumento in scriptis auctorum optimorum, mihi maxime æstimandum visum est, exposui; et quoniam primum meum conamen est, id investigationi eruditorum humilitate et reverentia idonea subjicio.

FINIS.

exhibere oportebit; atque, profecto, copia multis
 majore datum fuit, et a medicis peritissimis et
 celeberrimis laudatum. *et ceteris*
 Jam non modo quodcumque mea experientia
 docuit, sed etiam quicquid de hoc argumento in
 scriptis auctorum optinueram, mihi maxime testi-
 monium visum est, exponi; et quoniam pri-
 mum meum consilium est, id investigationi eru-
 ditum humilitate et reverentia idonea officio.

FINIS.











